

## Die Urkunden Lothars II., 3

(C.) In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius divina  
praeveniente clementia rex. Si petitionibus servorum dei et virorum ecclaeasticorum  
benigno favore libenti adquiescere studemus easque ad effectum perducere satagimus,  
nostrorum imitamur vestigia praedecessorum idque in postmodum ad subsidium animae  
nostrae pertinere minime ambigimus. Idcirco comperiat omnium fidelium sanctae ecclesiae  
ac nostrorum praesentium videlicet et futurorum industria, quia Egil venerabilis abba et  
rector monasterii, cuius vocabulum est Prumia et est constructum in honore domini et  
salvatoris nostri Iesu Christi nec non et beatae dei genetricis semperque virginis Mariae,  
detulit obtutibus nostris domni et genitoris nostri Hlotharii serenissimi augusti  
auctoritatem, in qua continebatur, qualiter patres nostri Pippinus videlicet et Karolus et  
avus noster Hludouicus gloriosi imperatores seu et ipse morem sequens praedecessorum  
suorum eundem monasterium non solum multiplicibus rebus ditaverint, verum etiam sub  
eorum tuitione successorumque suorum constituerint, confirmantes atque praecipientes, ut  
in villis vel rebus praedicti monasterii nullus iudex publicus absque eius iussione ad causas  
audiendas aut freda undique exigenda vel fideiussores tollendos nec scaras vel  
mansionaticos seu coniectos tam de carrifigio quamque de paraveredis exigere aut exactare  
praesumeret, sed quicquid exinde tam de hominibus francis quamque et ecclesiasticis seu  
servientibus, qui infra agros vel fines seu super terram praefati coenobii degere videntur,  
fiscus aut freda poterat sperare, ex eorum indulgentia in luminaribus ipsius coenobii  
cederent. Praefatus itaque abba petiit celsitudinem nostram, ut eandem auctoritatem nostrae  
denuo confirmaremus ipsumque monasterium cum rebus omnibus et familiis, quae  
praesenti tempore in diversis pagis et territoriis tam per traditionem praedictorum patrum  
seu et genitoris nostri Hlotharii augusti seu ex liberatione liberorum hominum per  
traditiones commutationes venditiones aut ex qualicunque legali ordine praescriptum  
monasterium tenet vel possidet vel quae deinceps in iure ipsius sancti loci divine pietati  
augeri placuerit, sub nostra tuitione atque inmunitatis defensione constituueremus. Cuius  
precibus adquiescere placuit et hos nostros apices imperiales fieri iussimus, per quos  
decernimus atque praecipimus, ut quicquid tam ex donatione regum vel traditione  
liberorum hominum ad idem monasterium legibus conlatum est et praesenti tempore  
legaliter tenet ac possidet vel ea quae ab hinc in futurum ibidem iuste et legaliter traditum  
fuerit, perennis temporibus rectores ipsius monasterii absque ullius iniusta contrarietate  
teneant et possideant. Insper praecipimus atque per hanc nostram auctoritatem sancimus,  
ut nullus iudex publicus vel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesiis aut loca vel agros  
seu reliquias possessiones praenominati monasterii tam franco quam ecclaeasticos vel  
servientes, qui infra agros vel fines seu super terram praedicti monasterii manent, bannum  
aut heribannum exigere aut exactare praesumat aut ulla redhibitiones vel inlicitas  
occasiones querere, sed liceat rectoribus praefati monasterii cum omnibus rebus et  
mancipiis iure possessis quieto ordine vivere ac residere, quemadmodum iam dicti genitoris  
nostrorum reliquorum patrum auctoritatibus, seu et in haec nostra continetur, nostro  
successorumque nostrorum fideliter parere imperio, qualiter monachi ibi per successiones  
temporum liceat quiete vivere et domini misericordiam pro nobis, coniuge proleque nostra  
adtentius exorare. Quicquid etiam de rebus praedicti monasterii ius fisci exigere poterat,  
totum nos pro aeterna remuneratione in luminaribus iam dicti monasterii et alimonia  
pauperum vel sustentatione peregrinorum in nostra perennis temporibus concedimus  
aelimosina. Haec vero auctoritas confirmationis nostrae per futura tempora inviolabilis

atque inconvulsa permaneat, manu propria subter eam firmavimus et anuli nostri  
in pressione assignari iussimus. Signum Hlotharii gloriosi regis. Ercambaldus notarius  
recognovit. Data III id. febr. anno Christo propitio regni domni nostri Hlotharii gloriosi  
regis I, indictione IIII; actum Aquisgrani palacio regio; in dei nomine feliciter.